



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. II. Ethice Christiana quid à profana & philosophica differat, Itémq[ue]
ab eius honestatis præceptis, quæ Nomothetarum legibus describuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

Est autem Ethice Christiana, qualem hinc querimus, qualisque Dei verbo comprehensa est, tum internæ, tum externæ nostræ sanctitatis. i. totius vitæ nostræ reformationis, qualis esse debet, plena perfectâque institutio & doctrina. Verè enim Lactant. libr. 6. cap. 5. idque partim ex Aristot. partim ex Cicerone sumens. *Sicut virtus non est, ait, bonum aut malum scire, ita virtus est, bonum facere, malum non facere. Et tamen scientia sic cum virtute coniuncta est, ut scientia precedat virtutem: virtus sequatur scientiam, quia nihil prodest cognitio nisi cō actio subsequatur.* Aristot. libr. 2. ἠθικ. cap. 2. eodem modo ἡ παρῶσα θεωρηματικὴ ἡ θεωρητικὴ ἐνεργεῖ ὅτιν, ὡσπερ αἱ ἄλλαι. οὐ γὰρ ἴν' εἰδῶν μὲν πῶς ἡ ἀρετὴ, σκοπεῖτο μὲν δὲ ἀλλ' ἴν' ἀγαθῶν ἡρώμεθα. Ergo tota ad actionē refertur. Nostra igitur definitio quàm sit verum ex Lactantio & Aristotele, tum ex sequenti disputatione luculenter apparebit. Hanc enim scientiam in affectionibus & actionibus (πάθη καὶ πράξεις vocat Aristoteles) nostris modo randis, id est, in finibus nostrarum actionum regendis totam versari certum est.



CAP. II.

Ethice Christiana quid à profana & philosophica differat, Itémq. ab eius honestatis præceptis, quæ Nomothetarum legibus describuntur.



QVONIAM verò & Nomothetæ homines, qui politicas leges populis descripserunt, posteaque eorum interpretes Iurifconsulti, se iusti & iniusti
a.ijj.

sciētiam, verāque Ethicē, & Philosophiā tradere profitentur: & Philosophi ipsi, qui vulgò dicti sunt, quāquam homines profani, & à Dei cognitione remotissimi, tamen de virtutibus, morūque disciplina & honesta institutione multa præcipiunt, quæ in vñam quandam artē collecta, *ἠθικὴ* scientiam appellant: videntum est, quid, quantumque cum istis Ethicæ Christiana consentiat, vel etiam discrepet atque dissentiat. Ac primū in his tribus tum Nomothetarum, tum Philosophorum, tum, etiā Christianorum Ethica præcepta inter se cōueniunt. Primū, quòd ordine & methodo quadā, quæ ad discendum vtilitatem & docendi commoditatem comparata sit, suam artem, suāque illa præcepta tradere omnes sunt conati. Nā Philosophi, qualis Arist. accuratissima sanè ratione omnia, quæ de virtutum, vitiorūque natura dici posse existimauit, in Ethicis libris descripsit. Nomothetæ etiam, veluti Iustinianus, ex omnium Iurisconsultorum variis commentariis artem quandam & corpus Iuris Ciuilis ordine, certisque rubricis & titulis digestum compegit. Quod idem veri Christianique Theologi in vitæ sanctitate tradenda, quantum fieri potest, non prætermittunt, ne quid confusè aut perturbatè ab ijs doceatur. Id quod non de Scholasticorum libris intelligo, qui planè sunt philosophorum discipuli, & cū ijs in omnibus penè iidem: sed de veris & Euangelicis doctoribus. Secundum autem in quo consentiunt omnes, est externa quædam *ἁγιότης* & *σεμνότης*. Omnes enim communiter hæc statuunt, quod
 pro

pro Ethico principio ponit, & rectè quidem Aristot. τὸ κατὰ τὸν ὁρθὸν λόγον ἀεὶ ἴσιν κοινὸν εἶναι id est, *Recte rationi conuenienter agere, commune esse his præceptis scopum*: vnde hominum externas actiones & opera sic gubernant & instituunt, vt ad splendidam quandam grauitatem, & honestatem ea formari & componi veliat. Omnis enim ἀρχιμοσύνη, quæ in operibus nostris apparet ab illis omnib⁹ proculdubio improbat: & τὸ κατὰ τὸν ὁρθὸν, quod vocant, id est, decorum (est autem cum ea, quæ cuiq; personæ vel à nobis susceptæ, vel à natura impositæ conueniunt, inter homines obseruamus) omnes commendant: maxime autè D. Paul. 1. Cor. 14, v. 4. 1. Thess. 5, v. 14. 1. Timoth. 2, v. 2. M. item Tull. Cicero lib. 1. de officijs: & sæpissimè Diogen. Laertius. Tertium denique, in quo tum Christiani, tum Philosophi Ethici consentiunt (Nam ab vtrisque diuersi Nomothetæ siue Politici præceptores fuisse videntur) est Electio animi, siue voluntas spontanea, quam vtrique esse necessariam docent, vt aliquid ex eorum definitione honestum ac rectum esse dici possit. Itaque non tantum externa ipsa opera spectant: sed mentem, & affectum animi, quo quis impulsus agit. Neque nos bonos viros laudandosque censent, si quid honestè inuiti, vel metu coacti fecerimus. Propositum enim animi requirunt: quod si absunt actiones nostras in virtutum numero non habent: quanquam aliquid male à nobis etiam inuiti vel metu coactis sæpe fieri posse vtrique concedunt. At Nomothetæ, Iurisperiti, & qui leges hominibus descripserunt, quia tantum pu-

niunt, quantum manu comprehendunt, & oculis vident, tam altè non penetrant: vnde quemadmodum cogitationis pœnam nullam constituunt, L. Cogitationis, D. de pœn. ita ipso externo factò, quod lege præscriptum est, sunt contenti, siue quis illud pœnæ metu, siue inuitus præstiterit. De proposito autem animi, de voluntate, & electione, aut nunquam omnino, aut rarò admodum curant, quæ fuerit in eo, qui legem obseruauit: quanuis & ipsi nonnunquam, & meritò quidem, eos puniunt qui metu contra legem suam aliquid admiserunt: ac laudat eos, qui potius sponte, quàm qui metu impulsì legibus paruerunt. Ac quidè in his, quæ diximus, superiores omnes consentiunt. Dissentiunt autem varijs modis inter se, quos ne singulos persequamur, esset enim infinitum, ad tria tantum capita omnes istorum differētias reuocabimus. Differunt igitur inter se

- | | | |
|------|---|-----------------------------------|
| 1 | } | Origine boni & mali quærenda. |
| in 2 | | Finibus bonorū & malorū pangēdis. |
| 3 | | Materia ipsa virtutum & vitiorum. |

Quanquam ex Firm. Lactant. lib.6. Institutio. Christianæ ca.3.10, & 14. plura notari possunt. Ac quoad originem quidem differunt inter se, quòd tum Philosophi, tum Politici Nomothetæ, è corrupto & obcæcato iam naturæ nostræ lumine, & qualiquali cōscientiæ suæ testimonio præcepta sua de moribus & honesto hauriunt. At veri Theologi ex limpidissimo ipsius Dei verbi fonte, & ex iam reformatæ & purgatæ per fidem & Dei cognitionē conscientiæ nostræ iudicio. Vnde fit, vt cum luce Dei destitutum

destitutum humanum ingenium sit, cum per se cæcum, tum prauis hominū opinionibus & cōsuetudine iam recepta corruptum: cumque voluntas humana Dei spiritu non afflata tota vitiiis addicta sit, & fœdæ carnis nostræ cupiditati seruiat, homines siue Philos. siue Pol. neque quid verè honestum vel turpe sit sæpe viderint, neque etiam quum viderunt, præscripserint, neque de eo, quod honestum dici & definiiri debet, omnes inter sese consenserint. Nam aliis non est visum turpe furari, si modò fieret astu, veluti Lacedæmoniis: alijs adulteria non displicuerunt, vti Persis: aliis cædes & homicidia placent, veluti Scythiis, quemadmodū Ambros. lib. I. de officiis copiosè tradit. Tanta verò inter Philosophos ipsos fuit de honesto & turpi dissensio, vt tandem ab ijs ipsis disputatum sit, vtrum honestum & turpe: iustum & iniustum naturâ, vel hominū tantum opinione constaret, & definiendum esset, vt & Aristot. lib. 5. *ἠθικῶν Νικομάχ.* & Tullius lib. I. de officijs scribit. Denique, vt est lib. I. de finib. Bonor. & Malor. in vna quidem Athenarum vrbe qui vixerunt Philosophi, de eo inter se conuenire, quanquam à viris bonis rogati, nunquā potuerunt. Itaque, vt ait Lact. lib. 6. cap. 3. Pueros tantum & adolescentes in præceptis Ethices instituendos esse docent Philosophi, quia qui iam aliquam opinionem imbiberūt, semelque receperunt, non possunt ab ea diuelli, & statuere aliud esse honestum aut turpe, quàm quod iam opinione & præiudicio quodam præoccupati perceperunt. Quoad fines verò bonorum

& malorum (nam finem huius istius cognitionis & scientiæ Philosophi, Politicique homines vanam hominum laudem & gloriam constituunt, Christiani verò Theologi vnicam Dei ipsius Opt. Max.) quoad fines, inquam, collocandos & pangendos sunt dissimillimi. Philosophi enim & Politici eequod sit summum hominis bonum vel omnino ignorant, vel illud ad huius caducæ & mortalis vitæ commoditatem referunt: nimirum vt consentaneè & consentienter naturæ hîc viuamus, id est, lubentissimè viuamus omnibus rebus abundantes, quæ hæc vita desyderat, & requirit. Nam summum bonum etiam ab eorum perfectissimis Stoicis & Peripateticis nimirum dicitur obtingere nobis posse in vita hac, cum est *ἀπαρτὸς* siue potius *καχορμηδύνη* (vt loquitur Aristot.) id est instructa & abundas omnibus, quibus & bene & secundū naturā suauiter viui potest, adeo vt ærumnæ corporis, vincula, calamitates, paupertas, opprobria, & ceteræ huiusmodi duræ res nobis ad hoc summum bonum assequendum ex illorum sententia maximè obsint, atque sint impedimēto, quemadmodum lib. 1. *ἠθικῶν Νικομαχ.* cap. 10. & 11. prolixè disputat Aristot. Theologi verò Christiani illud esse summum bonū docēt, quod & in futura tantūm vita obtineri potest: & nullis huius vitæ miseris, incommodis & ærumnis impediri, vel obscurari possit. Id quod præclare Gregorius Nyffe. in li. de hominis opific. cap. 16. disserit, imò verò potius per eas ipsas afflictiones ostendunt sepe nos illud melius & fœlicius adipisci, quàm si omnia consequeremur,

queremur, quæ huius vitæ cōmoditas desiderat. Deniq; quoad materiam virtutū ipsarum & vitiorum, illi numero quem recensent, differunt inter se, quemadmodū etiā Lact. lib. 6. cap. 10. luculenter tradit. Libet autem ex eodem Lact. lib. cap. 14. ipsius verba referre. *Nos autē (ait) qui hanc vitam contemnimus, alias nobis propositas virtutes habemus, de quibus Philosophi ne suspicari quidem potuerunt. Itaque & virtutes quasdam pro vitis: & vitia quedam pro virtutibus habuerunt.* Ergo neque veras virtutes habent Philosophi, sed earum umbras tantū quasdam, quemadmodū & diuinus inter eos Plato, & post eum M. Tull. fatetur: neque etiam vera vitia. Præclare enim Augustinus lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 25. *Vbi nō est vera religio, nec vera virtus.* Id quod idem ipse fufius lib. 4. contra Iulia. cap. 3. probat. A quibus autem virtus verè & propriè definiri non potest, certè neque ab iisdem vitium potest, quia contrariorum est eadē ratio. Politici certè iustitiam ex commodis & vtilitate ipsius ciuitatis & cœtus, quæ legib. regere instituebant, definierunt. vnde verā iustitiā ne cognouerūt quidē. Vera est enim de illorū sãctionibus Horatij Flacci hæc sentētia. *Ipsaque vtilitas iusti propè mater & equi.* Itaque Lact. lib. 6. cap. 9. præclare, *Vera (ait) iustitia nō est nihil cōtra suæ ciuitatis leges admittere. Inter homines enim Dei veritatis ignaros non tam iustitia, quàm vtilitas leges reperit.* vnde illud Lucilij Poetæ, *Cōmoda præterea patria sibi prima putare.* Ex quo fit, vt multa tum Philosophi, tum etiā Politici legiflatores sæpe non tantū tolerant

Cap. 2. ETHIC. CHRIST.

(qualia sunt lupanaria, id est ex L. Ancillarum, sed & pensio. D. de petitio. hereditaria. apparet) sed etiam precipiant quae sunt natura foedissima atque turpissima, qualis est idololatria. Multa vero damnent & ferro flammisque persequantur, quae sunt factu honestissima, qualis evangelica pietas, & summe probanda. Id quod verum esse docet August. in Enchirid. cap. 78. & 79. Christiani vero Theologi veras virtutes veraeque animi vitia cognoscunt. Quid, quod lib. 6. cap. 10. Lactantius conqueritur Philosophos pulcherrimam, & maxime homine dignam misericordiam de numero virtutum expunxisse, nihil cuiquam impertiendum esse docentes, & misericordiam inter *malis* animi & vitia numerantes? Praeterea peccatorum genera Christiani plura esse ex breui illo legis divinae libello animadvertunt, quam Philosophi vel homines ipsi Iurisperiti & Politici, quantumvis magnis voluminibus utriusque de vitiis & virtutibus differant, unquam perceperunt. Nam neutri sola animi nostri vitiosi concupiscentiam peccatum esse agnoscunt, quae tamen est summum, ut ex Roman. 7. v. 7. & decimo Decalogi precepto satis intelligitur, quae cum latissime pateat, seque per omnes vitae humanae partes, & actiones diffundat (ecquod enim est, obsecro, turpitudinis genus, in quo nostra concupiscentia non ebulliat & se iactet?) infinita peccatorum genera praetermittat illi necesse est. Deinde primos animorum nostrorum motus, quos appellat, non damnant, ac ne Stoici quidem Philosophorum severissimi, quia quominus fiant haec ani-

hæ animorum nostrorum, quanquam vitiosæ, commotiones, non est (vt ipsi aiunt) in nostra potestate situm. Denique nihil eorum, quæ ad idolorum. i. falsorum deorum cultum, quæ ad infidelitatem, quæ ad diffidētiam nostram, quæ ad primam legis diuinæ tabulam pertinent, illi fugiendum homini sapienti putant. In quibus tamen omnibus scelera vel maxima versantur, adeò vt minutulam quādam virtutum & vitiorum partem gustasse potius, quàm cognouisse videantur. At eadem illa omnia ab vtrisque vel nō intellecta, vel contempta Christiani Theologi, & cognouerunt, & ex Dei verbo verissime definierunt. Sed de differentia quidē Christianæ Ethicæ à Profana siue Philosophica, i-témque Politica siue Legislatorum præceptis, hæc dicta sint.



CAP. III.

Methodus & partitio futuræ
disputationis.

ETHICAM igitur Christianā ab vtrorumque cognitione & ratione diuersam, Deo dante, scripturi, alia quoque via progrediendum arbitramur, quàm ipsi fecerint. Quanquam inter eos ipsos non vna semper fuit omnium methodus, & præcepta de virtutibus tradendi ratio. Nam eorū alij à definitione summi illius boni, quam *Εὐδαιμονίαν* vocant, tanquā ab ipso capite & primo huius cognitionis fonte disputatio